

Exercitium Academicum

Brevi quadam

DISSERTATIONE PHILOLOGICA

PHOENICIS

MYTHOLOGIAN

Comprehendens

Quod

Consensu & suffragio Amplissimæ Facultatis
Philosophicæ in celebri illo ac incluto Orbis li-
terati Luceo quod Upsalis est.

Auspicio, Moderamine ac Præsidio

VIRI CLARISSIMI

Dn. PETRI LASERUS.

Eloq. Profess. Regii & Ordinarii

Candidæ bonorum censura

Ad diem 5. Junii A. 1689. in Aud. Gust. Majori

placide ac modeste subiicit

ANDREAS MORIN Dalek,



UPSALIÆ, excudit Henricus Keyser, S.R.M. titis
& Academiæ Typographus,

Maxime Reverendo atque
Eminentissimo in Christo Patri ac Episcopo

D O M I N O

M. SAMUELI
VIRÆNIO

Hactenus

S.^a R.^a M.^{ti}

a Sacris, Aulicisque Consistorii
Superintendenti ac Præsidi
Celebratissimo

nunc vero

Inclutæ Diœceseos Wexionensis
Præsuli longe meritissimo

Patrono ac Mæcenati Magno.

SI noster hic Phœnix, Ma-
xime Rever: in Christo Pater ac Pra-
sul, eo splendore, cultu ac ornatu, ea indo-
lis industria & acumine, ex tali prodisset
officina, qua memorat Tacitus Excellen-
tissima olim ingenia non sine sagacitate mul-
ta ingeniiq; vi ac laude egregia sese exer-
cuisf.

cuisset; nullum foret dubium; quin mecum
alii Reverendissimo Amplissimoq; Tuo nomi-
ne dignum haberent; essetq; cui ipse M. R.
Episcopo, locum adsignares apud illam Phi-
dia Minervam in Athenarum arce colloca-
tam. At quantum nos distamus ab illis!
Illorum Phœnix illustris fuit ac varius, no-
ster vero impiumis ac simplex incomte ru-
diterque depictus. Hoc ipsum quum animo
sapius mecum volverem inter varios dubi-
tationum astus fluctusq; basi atq; cunctatus
sum, auderemne tenellum hunc & non
maturum satis ingenii factum, atq; juven-
tutis mea primitias, splendido tuo nomine
illustrare: an vero pra virium imbecilli-
tate, ac diffidentia, pietatis, grati animi,
debitaq; reverentia officium hac occasione
desererem. Verum ut pondere suo gravior, ita
melior potiorq; lanx altera prevaluit. Nam
statim subit animum meum benignissimus
ille Tuus adfectus in literatos, quo ad li-
matiora ingenii specimina edenda, & ad
spes majores incitatos ac erectos fovere soles,
nec ullo umquam supercilio juvenileis cona-
tus rejicere. Deinde mentem hæc versare
cogitationes, scilicet: quam fœdum semper ac
horridum sit illud animi ingrati vitium,

) (

quod

quod quum ipsa tellus sentiat, sub mole
isthac ac onere tanto, gemit. Occurrebat
statim ingens illud beneficium; quo, vultu
tam comi ac tranquillo, tristes, adstrictas,
miserasq; fortunas meas respexisti, & ef-
fecisti ut bonum animum habere iussus u-
na cum fratre natu minori munifico ad-
modum & plane Regio beneficio fruerer;
quapropter ingentes semper & ore fero. &
imus pectoris recessibus inclusas Tibi seruo
grates, & supplici prece exopto ut D. O.
Maximus Tibi tuisq; beneficia splendidiora
amplioraque rependat. Nunc summa illa
in tam presentem Patronum, qui semper
mihi Phœnice rarior fuerat, reverentia cor-
pectusque meum stimulat, & mihi vo-
tum imperat, simplicitate magis, suaque
pietate, quam ulla ingenii industria ac
Heliconia arte commendandum. Auguror
enim fore ut tuum nomen optime Pra-
sul hisce in terris perpetuo semper vireat
germine, & ad instar rose suavissima lon-
ge lateq; suos spargat odores. Nec ulla
umquam apud nostros erit posteritas, pe-
nes quam non amabile illud VIR ÆNII
nomen revirescat. Arbor Tua in Libano
Dei altissimi monte erecta, alta & pro-
cera

cera diutissime stabit, suoque multos te-
gmine tuebitur & presidio. Quumque
Teterestri hac e statione vocabit aliquan-
do Cœlestis providentia; tunc VIR Æ-
NIUS in Cœlis fulgida stella, clarumque
sydus ad Sanctissimi Vatis prasagium
splendescet; Nam multos docuit ille;
tantoque illustrior erit, quod bene meri-
tus fuerit de plurimis idem.

Pio animo nomini Tuo
Devotissimus Clicus

A. M.

Pereximio & Politissimo.
Dn. ANDRÆ MORIN,
Amico à teneris.

Phœbi coruscantem aulam, vel
quod idem est, solis parentis sui Splendi-
dissimam regiam olim adire voluit Phaethon fi-
lius; ast ubi accessit, in radiantem multiplici
splendore vultum ejus oculos conjicere gesti-
ens gressum protinus stitit purpureoque ve-
lo, quod divinum ejus vultum ferre non
posset, faciem suam contexit, donec;

--- *Genitor circum caput omne micantes,*

Deposuit radios propiusq; accedere jussit.

Idem, ut omnibus Sveciæ incolis, sic certe
etiam illis, qui in Dalekariâ sedes habent, u-
bertim accidit: tot enim sunt radii, quos
rex noster Clementissimus in eam emisit, &
quotidie emittit, tanta denique eorundem ra-
diorum hinc inde resultantium multitudo vis
& efficacia, ut e propinquo tantam lucem
contemplari nequeamus, gradum itaque si-
stere necessum habent ejus incolæ & è lon-
ginqvo splendorem tanti Regis, ceu fulgen-
tissimi patriæ Phœbi, venerabundi admirari
atque revereri. Taceo clementiam cedro
dignissimam & æternitatis albo merito inscri-
bendam, quæ plurimi retro Reges illos am-
plexi sunt, quorum gratiæ & bonitatis radii
in candidum, fidum & robustum pectus Da-
lekar

lekarlicum vibrati, tam arcta illud amoris &
reverentiæ copula regio throno devinxerunt,
ut nullum in terris arctius firmiter vincu-
lum esse possit. Vera me dicere testabuntur,
Mi MORIN, parentes Tui, qui pro tanta
regis gratia supremo Regi Thura pia indefi-
nenter obferunt. Testaberis & ipse cum
fratre Tuo, quibus Serenissimus Svionum ad-
fulsit Phœbus, cujus fulgore foti ac refecti,
in celeberrimo hocce Pindo Patriæ utilia o-
lim membra Vos præstare potestis. Te deni-
que dotes Tibi clementer concessas bene col-
locare velle vel ex hoc egregio specimine pa-
tet. Et cum penes Te amplius non sit, quod
tantæ gratiæ reponas, non cessabis mecum
Deum Opt. Max. devotis suspiriis compella-
re, ut vivat Rex noster Clementissimus, Vi-
va illa & spirans veræ gloriæ imago Patriæ
delicium & ævi decus! Floreat augustissima
domus; sic enim & tuguriis nostris bene erit.

Ups. d. xviii. Maji
1689.

*Scrib. festinanter qui Te
sincere amo*

SAMUEL TERSERUS.

NON Ullo cogitabam te convenire proœmio, ut potè cum sponte tua existimem te invitatum iri, vel ad intuenam oculis tuis Phœnicem raram in terris avem, qualem veteres & describere & credere, vel ad considerandum animo, quid hoc portento significatum voluere antiquissimi pariter, ac nostro hoc aro eruditi: verum urget maxime necessitas, qua justam semper ac genuinam proœmii causam habet, ut paucis te alloquar. In primis magnopere terogatum esse volumus, ut pro solita tua æquanimitate ac candore pauculas hasce pagellas benigne accipias eoque loco habeas, quo & aliorum juvenilis tyrocinii rudimenta prima habere soles. Ingenue namque fatemur, nullam in hoc exercitio elucere industriam, nam cuncta qua in se continet, ab aliis excerpta & deprompta sunt; unicum ergo hoc nostrum negotium fuit, ut illa, qua ab aliis prolixè tradita ac memorata suere bona fide in compendium mitteremus, nam librorum, quos ad manus habuimus, pagellas semper indicavimus, ubi vero non aderant, vel etiam præ festinatione non adiri poterant, fide aliorum fuimus contenti. Non enim omnes eruditorum de Phœnice commentarios mihi videre, nedum perlegere contigit; nam præter alios multos à Thomasio indicatos Kirckmajerus & Schotanus eruditas pro des-

truendo & explicando Phœnice diatribas conscripsere, quas solum ab aliis laudari vidi. Inter illos vero, qui mihi a Præceptoribus oblati fuerunt, est quoque Thomasius, cujus prolixam satis & egrogiam de Phœnice dissertationem vix intueri licuit; vel quod rei ipsius caput fuit, in tantis angustiis pauca inde seligere. Deinde folia aliquot ex opere suo longe laudatissimo, quod nunc sub prælo est, pro solita sua erga populares gratia ac favore, usibus nostris subministravit Celeberrimus Rudbeckius, qua quum oculus noster non perlustraret sed cursim pervolaret, animadvertimus plurima ex antiquis & æigmaticis nostris scaldis adducta, erudite deinde ac egregie illustrata. Cum quibus illa conferre, qua passim ab aliis antiquioribus tradita fuerunt, si otium & res nostra hoc tulissent summa animi voluptas fuisset. Dissertatiunculam hanc nostram ideo potissimum in 8. tmemata paula majora distinximus, quod rei ipsius natura hoc postulare videretur; illudque deinde dictionis genus nobis semper arriserit ubi sermo orâmate molliterque velut per suos canales deductus fuit; non vero crebris aperturis effusus per questionum scrupulos ruit, adeoque ita legentium animos interturbat & enecat. Et hoc quidem sermone obvio nec quaesito fecimus, qualem & tenuitas ingenii mei suppetere & hoc Exercitii genus requirere videbatur. Ceterum ne quis miretur quod tum in præfatione ipsa tum passim in sequentibus ingeminem mentis angustias, brevitatis studium, summamque festinationem, illud hic indicare cogor, susceptum hac negotium fuisse, non propria fiducia, sed srasu & impulsu eorum, quibus non obsequi-

summum mihi nefas est. Itaque quo citius voluntati atque mandatis illorum satisfaceret, festinandum mihi atque properandum fuit, & quidem magis forte, quam aetas mea, & ingenii cunctatio ferre videntur. *Εὐδαιμονία* denique & hiatus, quos ipse B. L. me ipso nunc melius perspicere potes, excusabit tua benevolentia ac supplebit. Si vero tibi ut levior hac nostra opella displiceat; nostrum certissimum solatium est, quod mihi met ipsi nec admodum placeat. Tu tamen vale & fave.



¶. N. ¶.

Thes. I.



Phoenicis nomen, una cum vocibus aliis, ferè innumeris e Græcia in Latium immigrasse, ut omnibus, notissimum est; ita & nos hoc solo contenti, in scrupulosam aliquam & anxiam vocis originem inquirere insuper habemus. Satis enim gnari sumus, quam multa in pandendis vocum Etymologiis commentiantur Grammaticorum filii, & quam variis ex lingvis vocis hujus incunabula viri eruditi repetant. Itaque prolixè non disquirimus quam mereatur fidem hæc Eustathii opinio, qua *Φόνικος* vocem *Φόνος* & *Φόνος*, quod sanguinem nunquam apud Græcos significat, deducere vult, sed doctioribus id dispiciendum reliquimus. Procinus igitur ad indagandas celebriores vocis significaciones accingimur, ut-

A

pote

pote quæ nostro instituto magis serviant, majoremque adferant lucem. *Φοινικῶν* vocem sensu tum adjectivo tum substantivo usurpata, qui Græcis in literis occupantur, non infrequenter offendunt. Substantive accepta præcipue designat nobilissimam illam arborem quam Latini Palmam appellitant; *Φύλον* seu *quæ*, ut loquitur Plinius, *riguis gaudet totoque anno bibere amat*, quæque oneri nunquam cedit, sed pressa assurgit; unde communi admodum ac familiari significato, pro victoriæ & præmio & symbolo haberi cœpit. Speciatim deinde pro arboris hujus ramo sumitur, itemque pro ipsa palmula seu palmæ cerebro adhibita reperitur. Ex hac postmodum significatione, vicinæ aliquot aliæ dimanarunt; utpote quum *Φοινίξ* rubrum colorem, qualem palmula habere solet, & sensu adjectivo, quicquid Puniceum, purpureum ac rutilum est, significat; unde quoque verbum *Φοινίσσειν* habemus, quod idem valet ac rem quamcunque sanguineo vel puniceo colore inficere & obducere. Rursus & aliæ sunt vocabuli acceptiones, quas non usquequaq; excutiendas arbitramur, quod proposito nostro minus accommodatæ deprehendantur: Nam & nomine hoc, hominem ex Phœnicia ortum, nuncupare solent, cujus quoque gentis primum conditorem Phœnicem Neptuni & Lybies filium

lium fuisse tradunt. Fuit & alius Phœnix Amyntoris filius, quem in numero eorum fuisse, qui iverint ad occidendum aprum Calydonium, memorant Ovidius & Hyginus. Et jam fluvius quidam fuit Thesaliæ ita olim appellatus, sine dubio à Phœnice Heroë, cujus sepulcrum huic flumini propinquum fuisse indicat Strabo. Qui auctor etiam montem & castellum quoddam in Asia minore hujus nominis memorat. Sed & organum quoddam musicum ita fuisse appellatum, notat ad Athenæum Casaubonus. Est quoque signum quoddam cœleste hoc nomine ornatum, cujus situm ac figuram describit Philippus Cæsius in Cælo astronomico-poëtico. Tropice solent rara & eminentia ingenia hujus appellationis laude beari; Quod obtigisse scimus post renatas literas duobus præcipue inter Italos viris, Pico Mirandulano nimirum, & Virginio Cæsarino; quorum effigiem eodem numismate expressam; & ab altera parte Phœnicem geminum insculptum fuisse docet Augustinus Favoritus in vita Virginii Cæsarini: ne plures alios hic commemorem, quibus idem decus inter suos evenit. Postremo denique illustre hoc *Φοινικῶν* nomen, una cum puniceo, ejusdem colore ut & alia quadam palmæ indole in se assumpsit fabulosa hæc & commentitia volucris, cujus fabulam ut detegamus, præcipua propositi nostri cura erit. Præsertim quum

quum Tacitus memoret eandem miraculo fe-
re proximam, viris tum indigenarum tum
Græcorum longe doctissimis, multam copio-
samque differendi segetem prabuisse, quam-
vis & ille plura de Phœnice ambigua circum-
ferri concedat, cognitu tamen haudquaquam
absurda. Quod hac methodo præstare cona-
bimur, ut, antequam fabulæ ipsius involu-
cra attingamus, nonnulla quæ Poëtæ aliique
de Phœnicis forma, Patria & ætate tradiderunt,
proferamus: Magistrorum deinde, ac Christianæ
Ecclesiæ patrum, ut & historicorum opiniones,
quatenus quidem à nobis fieri potest, expen-
damus, & tandem sententiam illam, quæ vi-
ris eruditis, qui hoc in argumento felicissime
versati sunt, videtur optima, adjungamus, quo-
rum nomina locis suis, & ubicunque pagel-
lis nostris, lucis aliquid ac momenti conciliant,
indicabimus.

Th. II.

Postquam igitur ea, quæ ad nominis i-
psius expositionem pertinere videbantur, dun-
taxat delibavimus; juber ipsa tractationis se-
ries aliquam rei enarrandæ descriptionem pro-
ferre, nam accurata aliqua & ad præceptio-
nes atque à *axel Beas* Philosophorum exacta de-
finitio Phœnici, quem pro fabuloso habemus,
non usque adeo decore conveniret. Descri-
ptio vero apprimè convenit, quam ex Ovidii
lib: xv Metam, desumptam hic lubet proferre.

Una

Una est, quæ reparat, seque ipsa refeminet ales
Assyri Phœnica vocant: nec fruge nec herbis
Sed thuris lacrymis, & succo vivit arioni.
Hæc ubi quinque suas complevit secula vitæ,
Ilicis in ramis tremulaque cacumine palma,
Unguib; & pando ni dum sibi construit ore,
Quo simulac castas, & natæ lenis aristas,
Quassaque cum sulva substravit cinnama Myrrha;
Se super imponit: fimitque in odoribus ærum.
Inde ferunt, retidem qui vivere debeat annos,
Corpore de pavito parvum Phœnica renasci.
Quum dedit huic atas vires, onerique ferendo est,
Ponderibus nidî ramos levat arboris alta,
Fertque pius cunasque suas patriumque sepulchrum,
Perque leves auras, Hyperionis urbe potitus,
Ante fores sacras Hyperionis ade reponit.

Ad venustam hanc Phœnicis descrip-
tionem ab Ovidio præstitam, placet nunc ea con-
tendere, quæ alii partim latius, partim strictius
super hoc negotio commentati sunt. Quæ
Phœnicis formam habitumque definivere, con-
sentiunt omnes, aquilæ eandem habere magni-
tudinem, nisi quod Ezechiel tragicus, cujus
versus non pauci adducuntur a Vossio in no-
tis ad Pomponium Melam, videatur duplica-
tam aquilæ fere longitudinem ipsi adtingere.
Sed autor Elegiæ, de Phœnice, quæ adscribi
solet Lactantii, adhuc majorem avi nostræ
videtur tribuere magnitudinem his versibus.

Magnicem, terris Arabum quæ gignitur ales,
Vix aquare potest, seu fera, seu sit avis

Non

Non tamen est tarda, ut volucres, quæ copore magna
Incessus pigros per grave pondus habent.
Sed levis & velox &c.

Doctissimus Thysius in notis suis ad hoc
carmen videtur per Magniciem intellexisse
speciem aliquam avium; & indicat ab Alber-
to fieri mentionem avium orientalium, quæ
Magnales appellantur. Prætes autem meus
existimat magniciem esse hoc in loco idem
ac magnitudinem: quemadmodum enim a
planus sic planities, a canus canities, ita, ab
adjectivo Magnus formavit carminis autor
magniciem. Vix enim alibi vox hæc reperit-
ur. Ales autem illa Arabum quæ terris
gignitur, fortassis gryphus est, quod animal alii
e veteribus septentrioni, alii Indiæ, alii Æ-
thiopiæ adsignant. Sæpe autem videmus ani-
malium patriam confundi; & ea quæ Indiæ
propria putantur, tribui Arabiæ, & vicissim.
Conjecturam hanc adjuvat ipse Lactantius
dum dubitat, utrum fera vel avis sit. hoc e-
nim gryphis convenit, quos scilicet finxerunt
veteres, monstrosa quadam ratione, habere
formam permixtam leonis atque alitis. Cer-
te ingenti magnitudine credidit antiquitas hæc
monstra prædita esse; idque constare potest
vel ex iis, quæ commemorat Philostatus de
pugna gryphorum, cum Elephantis, Draco-
nibus atque Tigribus. Perhibent deinde, cap-
put ejus decorum ac honoratum efficere plumas
ad

ad conii instar erectas & exstantes, cristatumq;
ejus esse caput, collum aureo fulgore nitidum:
cetera deinde totam esse purpuream, exce-
pta cauda, quam roseis ac cæruleis pennis va-
riegatam interscriptamque gerit, quod ele-
ganti quoque disticho, incertus auctor, quem
putant aliqui esse Lactantium hoc modo pro-
fert:

*Cauda que porrigitur fulvo distincta metallo
In cujus maculis purpura mista rubet.*

Quæ sane pulchre admodum *ῥουόκημον*
vel potius ut legendum contendit Salmalius
ῥουόκηκον Herodoti vocem expriment ex-
ponuntque. Memorant præterea Scriptores u-
num solum Phœnicem incertique sexus in
terris esse, non coitu concipi, non partu ge-
nerari, ad spectu rarissimum nec magnopere
visum, maximeque longævum, quæ quoque
ex traditione bina hæc profluxerunt prover-
bia: Prius quod de re perquam rara & viro
insigniter claro, heroicisque laudibus incluro
prædicatur, eum nimirum *Phœnice rariorem esse*.
Posterius de iis usurpatur, quæ nulla fere in-
tercidunt vetustate, sed perpetuo florent vi-
gentque, ut inde *Phœnicis annos vivere dicantur*.
Ex Mamilio memoriæ prodiit Plinius, quod
nemo umquam hanc avem vescentem con-
spexerit, nec ullo cibo aut liquore, sed aëre
& solis ardore nutriri solitam hæc versibus
docet Claudianus:

Non epulis saturare famem, non fontibus ullis
Assuetus prohibere sitim: sed purior illum
Solis fervor alit, ventosaeque pabula libat.

Phœnicem *καρπὸς Φαιζῶν* etiam Epiphanius
& Lactantius faciunt, quum dicat Ambrosi-
us libat caelesti nectare rores, alimenta tamen alia
rara & exquisita ipsi ab Ovidio adsignata jam
vidimus. De loco autem natalium ac originis
non consentiunt auctores, unde & Suidas re-
liquis auctotibus cautior e regione incognita
Phœnicem in Ægyptum devolare scribit. Alii
enim nasci apud Indos, alii in Assyria, alii in
Arabia Aromatifera retulerunt. Alii vero
videntur quidem credidisse nasci in Æ-
gypto, sed paternos deinde cineres detulisse
in Panchajam, quam aliqui existimarunt
maris Indici insulam fuisse Arabiae ex adverso
oppositam. Clarissimus autem Vossius in no-
tis ad Pomponium Melam ostendit fuisse Pan-
chajam in continente sitam, & quidem eam
Æthiopiae partem fuisse, quae Troglodytica
etiam dicitur. Ut vero tempus vitae solven-
da adest, in suo nido quem possidet unicum
& nemini unquam visum exaggerata & adge-
stae præstantissimorum quorumlibet aromatum
struici insuper se imponere, eandemque solis
æstu jam incalescens alarum quoque plau-
tu ac vibratu accendere, & sic inter odorum
flammas & ardores longissimum ævi sui in-
tervallum absolvere & complere, de quo ele-
gantissime hunc in modum Lactantius:

Tunc

Tunc inter varios animam commendat odorēs
Depositi tanti nec timet illa fidem.
Interea corpus genitali morte peremptum
Æstuat, & flammis parturit ipse calor
Aereoque procul de lumine concepit ignem
Flagrat, & ambustum solvitur in cinerem.
Testatur Tacitus hujus reliquiis ac cineri-
bus aliquam vim genitalem adfulam esse, ex
qua, ut & putrescentium membrorum tabe, i. e.
ossibus & medullis nonnulli memorant re-
centiorem alium Phœnicem ceu vermiculum
primo conceptum ut pullum (pauci sunt qui
ex ovo exclusum memorant) deinde concre-
scere ac enasci. Et huic, ubi adolevit, pri-
mam præcipuamque curam esse, iuxta fune-
bria defuncto parenti hoc modo exsolvere.
Primo, ut ajunt myrrhæ pondus sibi compa-
rat, quod ubi ad pilæ vel ovi modum conforma-
vit, vires suas periclitatur, an huic oneri
ferendo par sit; Dein hoc virium suarum ex-
amine feliciter tentato, in exenteratum & ex-
cavatum ejusdem Myrrhæ ovum ingerit cine-
res ac ossa parentis, & foramine alia Myrrhæ
occluso, in Heliopolim s. Solis urbem in Æ-
gypto sitam pedibus suis desert, demissosque
in altare Soli consecrat. Sunt tamen alii qui
dicunt Phœnicem totum nidum cum integro
parentis cadavere dorso impositum in Ægy-
ptum devehere, & ibi fragrantibus bustis me-
merando funere se consecrare: atque hunc

B

in

in modum Taciti verba esse explicanda, quum dicat Phœnicem patrium subire corpus atque adolere, contra Salmasium, nequicquam loco subire verbum subicere substituentem, docet idem ille eruditissimus vir ad Pomp. Melam p 297. De ipso consecrationis modo etiam dissident scriptores, an à Phœnice ipso vel Ægypti sacerdote peragatur. Quod quidam huic negotio trium Spatium dierum tribuant: illud allegoriam magis quam rei ipsius veritatē sapit. Ultimo & hoc non omittendum quod Lib: 3. ex fide Schotti, Philost: de Phœnice refert. *Hac vero qua de ipsa decantant Ægyptii, quo pacto in Ægyptum deferatur, ipsi etiam Inai testificantur sermoni consentientes, quo dicunt, Phœnici liquescenti lugubres hymnos decantari oportet. Ægyptios etiam Lactantius scribit ad ejus aspectum exultare, quasi opt. mi auguri ac ominis indicem. Perinde ac iusti Ciconiam adventantem veris prænunciā suscipiunt.* Gryph. Monuit a. me Prates, hanc versionem vix recte se habere; nam Græca Philostrati verba id velle videntur; Phœnicem sibi ipsi lugubres cantus fundere; non vero id officium fieri ab aliis. Sed de morte Phœnicis diversa admodum feruntur; namq; alii flammis cremari; atque e suis cineribus iterum renasci, alii vero abque igne dissolvi narrant, quomodo Horus Apollo ex præcipiti in terram lapsu illum *αὐτὸς ἑρπετὸν* facit & inde ex vulneris sanie surgere ejus pullū memorat;

rat; Unde non eruditi defuere viri, qui duplicem statuerunt Phœnicem, Græcum & Ægyptium. Hunc sine flammis obire diem supremum, alterum accendi atque ardore consummi traditum est memoria. Quicquid autem sit, eandem fabulam eandemque rem canere & designare videntur tam Græci quam Ægyptii, quando de Phœnice loquuntur; licet in circumstantiis diversi sint atque varii. Qui autem primi autores fabulæ fuerint Græci an Ægyptii, id pro certo adfirmare non aulim.

Th. III.

Nunc ea paucis examinemus, quæ de Phœnicis ætate ab autoribus variis diversimode prodita sunt: nam & hic scriptores in diversissimas abeunt opiniones, adeo ut tuto dicere possimus in universo hoc Phœnicis argumento, autores vix ulla in re magis convenire, quam in eo quod dicant alitem hanc unicam esse quæ post ætatem longissimam ex morte in vitam redeat perpetuis circulis. Maxime vulgatum memorat Tacitus, quingentorum annorum spatio vitam suam abolvere Phœnicem, quem quoque annorum calculum, Senecæ, Horapollini, Philostrato, Æliano, Ovidio, Pomponio Melæ, Aurelio victori, & ex patribus Epiphanio atque Ambrosio, cum ipsis Heliopolicis communem fuisse deprehendimus. De ipsa hunc in modum Herodotus *Musa 2. p. 131.* editionis posterioris:

Ἔστι δὲ καὶ ἄλλοι ὄρνις ἰσὸς τῷ ἔνομοι Φόινιξ ἐ-
 γὰ μὲν μιν ἐκ εἶδον, εἰ μὴ ὅσον γραφῆ. Καὶ
 ὅδ' ἴσθι σπάνι. Ἐπιφοῖσα σφι δὲ ἔβαν ὡς ἡλιξ
 παλῖθαι λέγασιν πεντακοσίων. Laxiorem paulo
 hunc numerum Plinius facit, Mamilium se-
 quutus, dum Phœnici annos designat 660,
 quam computationem minus recte se habere,
 ex Solino docet Salmasius, qui annos solum
 540 apud Plinium legerat, quod vero Soli-
 nus dicat, ratam inter autores fidem esse;
 cum hujus vitæ magni anni conversionem fie-
 ri, & eandem ideinde 540 annis circumscri-
 bat; Solam hanc atque privam Mamiliū ad-
 fertionem fuisse, autumat magnus Salmasius:
 quæ & reliquis autoribus omnibus, ita &
 ipsis Heliopolitis contatria cernatur, qui om-
 nium optime hoc novisse poterant. Cete-
 rum, quod secundum quosdam Phœnicis ata-
 tem definit Tacitus annis CIOCCCCLXI
 illud demonstrat exacte congruere cum ma-
 gno anno caniculari Aegyptiorum, cui par
 omnino temporis spatium Censorinus, Firmi-
 cus, Dio Cassius & Columella tribuere. Hoc
 ipso annorum intervallo, planetarum omnium
 revolutionem factam fuisse, juxta cum Græ-
 cis & Aegyptiis Mathematicis adserit Firmi-
 cus. Fuit autem illa Siderum ἀποκατάστασις,
 quum planetæ, orbibus suis absolutis, in idem
 principium, unde diverterant regredirentur,
 locis-

locisque suis ac originibus restituerentur;
 quo spatio exacto, easdem etiam tempesta-
 tum vires redire sibi persuasum habebant, &
 hac ipsa periodo Phœnicis vitam dimetiebantur
 quidam. Hinc igitur Salmasius, ex bi-
 nis opinionibus inter se mistis ac confusis, con-
 jectatur vitiosam Plinii & Solini computatio-
 nem prodixisse, Conficiebatur itaq; maximus ille
 Aegyptiorum annus; hoc modo, Communis e-
 nim ac vertens eorundem annus, quem etiam
 ἡλιακὸν ἢ ἐνιαυτὸν, κυνικὸν ac τέταρτον
 ideo, quod diei quarta pars ad ejus ἐκπλήρωσιν
 adjiceretur, appellatum fuisse Salmasius me-
 morat, diebus 365, cum quarta parte consta-
 bat. (Censorinus tamen tribus istis priori-
 bus nominibus annum magnum Aegyptiorum
 insignitum fuisse tradit.) Quæ singulorum
 annorum quadrantes, quarto quolibet anno
 confecerunt integrum diem, qui in fine qua-
 driennii ejus absque ulla tamen intercalatione,
 quippe quæ posterioribus demum temporibus
 à Romanis est inventa & excogitata, integrari
 & numerari solebat ante caniculæ exortum;
 nam à caniculæ exortu initium cepit ille annus,
 & tum quoque finem habuit, quum illa in
 pristinum suum rediret locum; quod perpe-
 tuo aliquo ac certo mensis die non fiebat, &
 hoc ex Strabone & Diodoro Salmasius adstruit
 contra Censorinum, qui dicit hoc quadriennium
 uno die minus esse justo ac naturali
 quadriennio, quasi eorum annus constaret

365 solum diebus sine ullo additamento. Ex hac quadrienni periodo alium sibi conflatunt Cyclum, qui tot in se complectebatur annos, quot illa dies, quem quoque magnum annum canicularum nuncupaverit, & tum complementum suum habuit, quum canicularum sidus prima mensis Thot die exoriretur, absolveturque annis mille quadringentis sexaginta & uno; quo eodem annorum numero vita Phœnicis à Tacito definitur; de hisce vero fusius multo differentem videlicet ipsam Salmasium Exercit. Plin. pag. 552. & seqq. Sed vident omnes, quam fluxum incertum & vagum sit, velle magnum hunc annum alitis unius vita determinare, vel eandem tanto annorum numero comprehendere, quod si vel maxime Phœnix in rerum natura esset, absurdum foret, Heliopolitarumque traditioni repugnet. Denique infirmam admodum ac debilem hanc, de collatione magni anni & vitæ Phœnicis inter sese opinionem, facit dissensus scriptorum diverso annorum calculo & Phœnicis vitam & magnum annum definiendum. Nam Hebræi non contemnendam Latinorum Græcorumque Poëtarum partem sequuti numero rotundo mille annos Phœnicis ætati impendant. De magno anno hunc in modum loquitur Censorinus in initio Cap. xix de die natali. *Nunc de annis majoribus dicam, quorum, magnitudo adeo diversa, tam genibus observata, quam*

autoribus tradita est, ut alii magnum annum esse in annis verrentibus duobus, alii in multis annorum millibus arbitrati sint. Et ad capitis finem hæc adjicit. Alii vero infinitum esse nec unquam in se reverti existimaverunt. Adeo ut hinc concludat Thomasius, in sua super hoc argumento dissertatione, esse ingentem opinionum de magno anno exercitum. Demum apud Solinum hæc verba comparent: licet plurimi eorum magnum annum non quingentis & quadraginta, sed duodecim millibus nongentis quadraginta quatuor constare dicant. Pari quoque annorum numero Secundum Ciceronis Hortensium magnum annum definit Servius ad 111. AENEIDOS. Cicero de natura Deorum, 111 annorum millia magno anno imputat, & alii aliter, de quibus vide Clariss. Schefferum in notis ad Aelianum pag. 502. Editionis Kunianæ. Hisce ex omnibus concludit Salmasius, meras nugas fabulasque esse, tam quæ de Phœnice quam quæ de magno anno circumferuntur. Et de tota Phœnicis fabula fere hunc in modum magnus Vossius Idol. Gen: Hæc talia cum referunt ipsi se refutant. In dissertatione ante laudata Thomasius, primum de Aegyptiorum anno cum Salmasio consentit. Deinde præcipuas auctorum opiniones de magno anno distincte castigat; in certas classes digerit. Magnos enim annos alios facit civiles, naturales alios, alios denique mixtos, quos partim ad siderum cursus,

cursus, partim ad tempestatum, & variarum rerum in tempore stas & in se redeuntes vices, refert: utpote morborum, sterilitatum, frugumque proventuum &c. Annos vero naturales facit minimos, magnos & maximum. Ille autem est, quem vix certo aliquo seculorum vel annorum myriadum numero, definivere veteres; tunc tamen expleri credebatur, quum cuncta astra eandem totius cœli descriptionem referrent, erraticæque stellæ in punctum illud redirent, in quo mundo primum condito fuerunt. De quo Auson: Idyllio 10 ex fide Gryphiandri:

*Donec consumto, magnus quid dicitur annus,
Rursus in antiquum veniant nova sidera cursum,
Qualia dispositi steterunt ab origine mundi.*

Et tunc post conflagrationem universi, rerumque omnium interitum (cujus aliquo in loco etiam Ovidius meminit) mundum in integrum restitui. Annos vero magnos sive intermedios, varios variis fecerunt, vel pro motuum cœlestium obscuritate, vel etiam hypothese suâ varietate; nam post fatalia quædã ac definita tempora, mundum exardescere sibi per se valum habuerunt: Duplicem tamen universi immutationem alios statuisse docet idem Thomastus, sc. *Ἐπιπόρευσις* æstatē, & *ἡγέμεν κατάκλυσμον*, tum sc. cum universa illa & cosmica siderum *ἀπὸ καὶ πύκνωσις* in certa quædam Zodiaci puncta, Cancrum nimirum & Capricornum

num incideret. Minimorum annorum considerationem consulto consilio, brevitatis causa (quæ per totam fere nostram dissertatiunculam regnat) omitto. Magnus denique annus civilis in varios usus populares ac patrios institutus fuit, neque ad exercitium hoc nostrum pertinet. Aliam demum viam & haud dubie feliciorē in eruendis hisce annis ingreditur Celeberrimus atque Experientissimus Prof. Rudbeckius, dum pro annis computat dies, adeo ut ejus opinione, maximus annus 19 annorum cyclo conficiatur, minores annos dies & menses interpretatur, ad finem, ni fallor, pag: 429 partis secundæ incluti operis de Atlantica quam propediem orbis eruditus magno cum adplausu videbit. Et hoc Sane quantivis est pretii, quod ex Scaldo Furi demonstrat numerum dierum vitæ Phaninis avis hyperborei tributorum, exacte cum numero annorū à Tacito indicato convenire, ut nunc non alia argumenta in se satis evidētia & dilucidā commemorem, quum ipse B. L. eadem paucos post dies habere possis, & prolixioris sint, quam hæ patiuntur angustia. De ipsa quoque Phaninis fabula (ita enim in nostris & antiquis monumentis Islandicis appellatur Phoenix) ore suo, hæc mihi retulit idem ille Celeberrimus vir, fabulam eandem hodieque apud Lappones & Finnonos servari. Unde jure nobis gratulamur, in tantis aliorum auctorum

Ætorum dissidiis ingeniosam admodum ac probabilem conjecturam formasse Cl. Rudbeckium, dum ænigmaticam hanc fabulam in hæc hyperboreis plagis ortam, de solis cursu cœlique apud nostros ratione, doctè admodum exponit. Ipsum videas Cap. v. de Heholatria & verà hæc videas.

Th. IV.

Variam & incertam Phœnicis ætatem superior Thesis exhibuit nunc, reliquas de Phœnice proferemus fabulas; quæ aliæ ex aliis pullularunt ac provenere, adeo ut mirum maxime sit, ex levissima quapiam occasione, tanquam ex musca Elephantum, tot narrationum portenta existere potuisse. Phœnicem, qualem fingunt Poætæ alique, in superioribus vidimus; his non modo gemina produnt Hebræorum magistri, sed etiam plura de suo addunt. Primo quo Phœnicem *Ἐγγυραφον* facerent, non recte ac genuine exponunt locum Jobi, qui habetur Cap. XXIX vers. 18. Cujus hæc verba sunt in Hebraicò Idiòmate *אני עמ קני אצוּע וכחול ארכה מימי* Latine ita vertunt Junius & Tremellius. *Itaque dicebam apud nidum meum moriar & sicut arena multiplicabo dies.* Ubi facer ille auctor, usus est Hyperbole tam in sacris quam profanis literis tatis usitata ac nota. Ambiguitatem quoque omnem, ex hoc loco tollunt interpretes Græci, de palma, non de Phœ.

Phœnice hunc locum exponentes: dicunt enim, non *ὡς περ ὁ Φοίνιξ*, sed *ὡς περ τελευτὸς Φοίνιχ*, *πολὺν χρόνον βίωσω* ut truncus palmae longo tempore vivam; quæ quoq; expositio non suo destituta est fundamento, quum etiam apud scriptores *Ἰὼς ἔξω*, arboris hujus longævitas commendetur, & Plinius memoret, unam Deli superstitem fuisse, ab Apollinis tempore, ad ævum usque situm, annos plus mille quingentos. Utraque hæc expositio non quidem incommoda, sed quænam alteri sint præferenda, eorum esto iudicium, qui literas Orientales penitus noverunt. Pro palma sanè facere videntur, quæ apud Jobum proxime insequuntur, utpote: *Radix mea aperta est juxta aquas, vos pernoctat in ramis meis.* Observant tamen Maloretæ, alique Hebræorum, hoc in loco vocem *לח* peculiarè & alias in sacro codice non usitatam obtinere significationem, ut avem designet, quam apud Italos Phœnicè appellari iidè contendunt, quæq; in Talmude vocatur *לשן* secundum Bochartum voce ex Græca *ὄρνις* deflexa; quomodo *ὄρνις ἐξοχὴν* a Græcorum non paucis appellatus est Phœnix. Ad hanc interpretationem amplectendam, forte eos etiam verba illa invitaverunt: *In nido meo moriar*, quod de Phœnice prædicari nos ante vidimus. Deinde vocem *לח* deducere conantur vel à vi vel à laude quod



in hac ave singularis quædam naturæ vis & Dei laus sese manifestet. Ridiculum denique est, quod Hebræi, quum hominem ipsum mortalem noverunt, cetera animalia omnia, corruptioni obnoxia & mortalitati damnata; novas quasdam commentantur causas, cur Phoenix ex hac corruptionis lege exemptus sit. Fingunt enim primam mortalium matrem Hevam, quum veritæ arboris fructum degustaret, ad idem omnino secum faciendum pellexisse animalia cetera; Phœnicem vero morem ipsi non gelisse, & ideo morte non mulctatum fuisse; sed post mille annos exactos, iterum renovari ac reviviscere. At quam hæc fabula mereatur fidem quemque istiusmodi commenta & argutiæ apud veritatis amantes obtineant locum, omnibus palam est. Vide Bocharti Hierozoicon p. 818 cui hæc debemus. A quo integram hanc Thesin bona fide contraximus, quod tamen mihi non fraudi futurum certa spe polliceor, præsertim quum ad opinionem Rabbiorum vix accedem, & SS:æ loci explicationem modeste à me removeam, sola hac in parte Bocharti auctoritate contentus. Et hæc plane intacta relinquere non promissi nostri, non nostrarum partium fuit.

Thes. V.

Rabbiorum opinione sic salutata & longum valere iussa, uno saltem verbo tangamus ea,



ea, quæ Christianæ Ecclesiæ patres de Phœnice sibi tradita mysteriis & allegoriis auxerunt; ipsa sanctorum patrum loca proferre ideo super sedemus, quod passim obvia sint, & utramque fere paginam apud plurimos, qui de Phœnice quid scripto prodiderunt, constituent. Vide tamen Physicam Curios: Caspari Schotti p. 1035 & seqq. Hoc vero solum in præsentia annotasse satis erit, eosdem non pio aliquo astu ad convincendos infideles ulos, nec ullo fallendi proposito motus & instinctos, sed credulos nimis, sine prævia aliqua ac justa pensitatione hanc de Phœnice fabulam recepisse; præcipue quod aliquid momenti adferre videretur ad ingenerandam fidem incredulis, de mortuorum post hanc vitam resurrectione ac restauratione; quum ad nullum alium fidei articulum amplectendum magis tardi fuerint gentiles. Præterea pauci quoque sunt, qui rem ut veram confidentius narrant, sed plerique ut dubiam aut possibilem saltim de Phœnice traditionem credunt, famamque & vulgatas aliorum opiniones prætendunt. Et hic imprimis memorabile est, quod Pisidas apud Eusebium, hoc disticho post enarratam Phœnicis Fabulam expressit;

Ἑλληνικοῖς Ἕλληνας ἔξαυτες λόγοις
 πείσθητε, λόγον τὴν ἀναστασιν οὐ βεβῆν.
 Graii ergo Graiis fabulis si ceditis
 Ne jam negetis suscitari mortuos.

Inter eos, qui pro repræsentanda mortuorum resurrectione Phœnicis exemplo ut certior uli sunt, est quoque Clemens Alexand: quem ideo perstringit Photius Patriarcha. *Ὁμολογησῆς κατὰ τὴν Φοίνικα τὸ ὄρνον ὑποδείγματι καὶ ζῆσι.* Deinde Maximus ἁγῶς ὁμολογησῆς dictus, in libro ad Petrum Illustrem, hoc de Phœnice commentum n refellit; Deniq; Athenagoras (ut hoc quoq; addamus) Christianus pater simul & philosophus Atheniensis, qui sub Antonino & Commodò vixit, peregrinorum de resurrectione mortuorum scripsit libellum, quam variis firmisq; stabilivit argumentis; Phœnicis vero tanquam jam tum explosi plane nullam facit mentionem, Phœnicem demum tot patrum, aliorumque auctoritatibus stipatum ac munitum avidissime arripuere sancti Martyres, qui inter medias voracissimasque flammashilari animo exemplum hujus alicis æmulati sunt; unde & tot decorantur symbolis, quæ & alii postmodum in se transcribere. Hac S. Apollonia tributa videmus: *Multiplicabo dies. Inde vivam unde crucior. Mori festinat in ortum. Sponte crematur.* De S. Laurentio & aliis, qui mortis acerbitem non modo non reformidarunt, sed etiam patientissime tulerunt, hæc sequentia prædicantur. *Innovabitur. Incendia poscit. Cupio dissolvi. Post fata superstes. Ex funere foenus.* De hoc ipso

ipso Martyre ut & sancta Apollonia generosius quoddam symbolum profert Picinellus Pag. 58. *Funeribus pretiosa suis,* quod ex Phœnicis sidere quindecim stellis conspicuo desumptum est. Patientia vero generosa hilce laudatur: *Suo funere gaudet. Viget in cinere vixtas. Novant non extinguunt.* De beate & bene morientibus: *Ut vivam. Peream ne peream. Non exurit ut pereat.* De Resur: Mort: *Mox eadem.* De Christi cruce: *Bustumque partumque. Et rogam & Cunas.* De Caritate. *Ardeore secunda,* De iis, quæ post obitum mariti in viduitate perpetua vivunt. Et singillatim de Helionora Aultriaca Francisci Galliarum regis vidu. dicitur: *unica semper avis.* De iis, qui egregie imitantur pia exempla: *Ut solis committentur avem.* De eo, qui aliis bono exemplo est: *Deducit cæcantes.* De Maria Virgine. *Virgo singularis. Ex Virgine Virgo.* De Jejunio. *Solu fervor alit.* De quoque fortunæ lux auctore: *Flammis alit. Ultra appetit. Quas excitavi patior.* Hæc enim symbola sive lemmata exemplis suis justaque expositione illustrata videas apud Philippum Picinellum, in Mundo symbolico pag. 322 & seqq. Bina quoque hæc recentiora symbola videas apud Jacocum Typotium p. 23. *Se necas ut vivat.* & p. 77. *Ferit ut vivat.* Præter Martyres aliosque Phœnicis Symbolo in nummis etiam usi sunt Cæsares Christiani, Constantinus patens & filius. Hujus in fortispicio dissertatio-

tionis nostræ comparet cum hac inscriptione : *Felix temporum reparatio*. Parentis vero nummum hic inferuimus, cujus hæc est inscriptio : *Gloria sæculi Virtus Caesaris*. Quæ numismata ex libro Ezechielis Spanhemii de ulu & præstantia numismatum exsculpi curauimus. p. 247.



Th. VI.

Non patres modo, sed recentiores alios in sui adsensu traxit hæc Phœnicis fabula, quos tamen oculatos magis cordatosque esse oportebat: quæ ut promiscuè ea reciperent, quæ vulgari hominum fama circumferuntur. Inter eos, non infimum locum obtinet, Junius Patritius Bibliothecarius Oxoniensis, qui quamvis incerta quædam de Phœnice agnoscat, profiteretur tamen, se non ambigere, quin sit istiusmodi volucris, quæ rediuiso sua carnis humore reparatur, & de suo surgat rogo, corporibusque sui hæves, & cineres suos

suæ factus sit. Subjungit deinde se malle cum Clemente & Origine errare, quam Maximi ejusque sequacium opinionem sequi. Licet autem Viri cetera eruditissimi autoritas nobis magni sit, huic tamen opinioni ejus non possumus assurgere. Post hunc in censum venit Donatus Marcellus, qui in suis ad Cornelium Tacitum dilucidationibus, haud perplexe adfirmare sustinet, Phœnicem neutiquam fabulosum esse, quamvis & is concedat, quædam de eo fabulose narrari. Primum suæ assertionis argumentum hoc facit, quod tam graphice, suisque coloribus describatur; deinde, quod magno auctorum consensu, memoriæ proditum sit, Phœnicem & Romæ & in Ægypto aliquando conspicuum fuisse. Ultimo, mysteria etiam captans, addit sibi non incongruam videri illam allegoriam, quam sancti patres inter Phœnicem, & generis humani sospitorem intercedere, sibi persuasum habuere, quæ & ille per aliquot circumstantias persequitur: quæ obrem haud injuria in majorem temeritatis notam incurrit. Quod igitur ad formam & apparitionem attinet, quam scriptores Phœnici tribuunt, largimur facile fieri potuisse, ut rara quædam, & inusitata ac peregrinæ figuræ avis nunquam apparuerit, & ut Taciti verbis utar, multo volucrum comitatu faciem ejus mirantium in Ægyptum aliaque loca devolaverit; (Ex antiquis nostræ gentis scaldis, aves illas

illas Phœnicis affeclas recenſet Cl: Rudbeckius) Quomodo & illa Taciti verba accipi-
 enda: *Adſpici aliquando in Agypto eam volucrem
 non ambigitur.* At Phœnicem fuiſſe, eaque
 attributa & accidentia, quæ Phœnici fabulo-
 ſa imputavit antiquitas, ei competere pōuiſſe,
 plane inficias imus pernegamusque, quum ab
 illa metamorphoſi abhorreſcere univerſa natura
 videatur. Huc quoque illud trahendum eſt,
 quod rerum Britannicarum ſcriptor Camdenus
 memoret Clementem VIII. Rom: Pont.
 ad Hibernos, in Reginam Eliſabetham rebel-
 les, pro munere, Phœnicis plumam (ſi Dns
 placet) miſiſſe. Suſpicati ſunt aliqui hæc in-
 telligi poſſe de Tragopanadè vel Tragopane,
 ut alii volunt legi Plinii verba, vel Phœnico-
 ptero volucris, qui Rom: Populo fuit notus ideo
 potiſſimum, quod cerebellum & lingua ipſis
 in deliciis haberentur, quem ſaporem invenit
 Apicius neporum omnium altiſſimus gurgès.
 Plinius ſ. G. lib. 10. c. 48. Ejuſdem etiam
 generis eſt quod Æthiopiæ ſ; Abyſſinorum
 rex in lua ad Pontificem Epistoſa jactet, in
 ſuo regno Phœnicem naſci, Cujus Epistoſa,
 olim ling: Hebraica ſcripta, verba hæc ex
 Kirckmajero producit Schottus p. 1039. *In
 terra mea eſt Phœnix avis, cujus anni vita ſunt 300,*
 (qui annorum numerus cum numero dierum
 in Scaldò Phaninis expreſſo, concinit, à quo
 etiam non multum abit Alb: Magnus qui 350
 annos

annos Phœnici tribuit) hæc prope ſinem vita tam
 alte verſus cœlum evolat ut accendatur à ſole. &c.
 Sed de hæc Epistoſa tale Gryph: eſt judicium,
 Sed quam nimia adulatio merito ſuſpectam reddit.
 Proſicitur autem palam Plinius, qualis fuerit
 cum memoret; *diſcolores maxime & memorabiles
 apud Æthiopas & Indos ſerri aves, & ante omnes
 nobilem Arabia Phœnicem.* Haud ſcio an fabulo-
 ſum. Ergo tota de Phœnice fabula, jure meri-
 toque Plinio fuit ſuſpecta. Suam quoque De
 hæc fabula *ἐπιτοῖαν* hanc addit Tacitus. *Hæc in-
 certa & fabulis aucta.* Huc quoque accedit, quod
 Plinius de illo loquens Phœnice, quem Clau-
 dii Cæſaris ætate Romæ publicatum hæc
 pauci ſcriptores memoriæ produnt, dicat. *Sed
 qua falſa eſſe nemo dubitaverit.* Quod quoque con-
 cedit Gryphander, quo melius deinde ſua hy-
 potheſi interviat & jure potiori alterum illum
 Phœnicem, qui tempore Tiberii apparuiſſe
 fertur, adſtruat & vindicet, ni binos Phœnices
 tempore inter ſe vicinioreſ quam par eſſet,
 admitteret. De Claudiu itaque Phœnice hunc
 in modum loquitur. *Deceptus ergo bonus Claudiuſ,
 eique ſpurius Phœnix obruſus, fortaſſe Phœnicopteris
 & iſe purpurei coloris, ut propterea etiam Phœnicopter
 ἑρπύλα eum vocet Philoſtratuſ in vita Apoll. cap. 8. &c.
 & poſt pauca addit. Nec enim difficile aliam
 vulgo ſupponere, in tantis natura divitiis, hominum-
 que ignorantia. Et qui deſerri Romam potuit Phœ-
 nix, ſi verum quod Oppianuſ obſervavit, nullis homi-*

num insidius peti, non sagutis, non lapidibus, non denique laqueis eum capi posse? item paucis interjectis. Tribus vel quatuor illis (Plinio puta Solino & Tacito) potiore fidem habendam esse, quam huic uni singulari testi, existimat Lipsius. Sed nos huic uni magis adhaerendum censemus (scilicet quo melius tollere possit Gryph. discrepantiam biennii inter Christum & Phœnicem) ut qui diligentissimus amalius scriptor, temporumque observator fuit, in qua illi obiter incidernnt. (audi nunc lequentia B. L. Hic autem consulatus, cum anno passionis & resurrectionis Dominice uti certis rationibus, ex fastis Romanis demonstrari potest. Atq; ~~omn~~ hic finis est deductionis nostrae, NB. propter quem totus hic labor susceptus est, (quem quoque in tota sua dissertatione arguet) nempe ejus conversionis seculi laudem omnem Messiae nostro assignandam esse, non astrorum circumvolutioni, vel etiam Phœnicis adventui, ut qua signa saltem futurae vel praesentis felicitatis fuerunt, non causa. Annon hic aliquid praedicti lateat, ipse dispicias B. L. certe haec verba multiplicem mereri possent considerationem, si otii virorumque nostrarum esset diligentius eadem excutere. Officii tamen nostri existimabamus eadem non omittere. De priori vero, Tiberii ni fallor, super quo eruditissima quaque tunc temporis ingenia disse-ruisse prodit Tacitus, Postremo & haec addit: nonnulli falsum hunc Phœnicem, neque Arabum e terris credere, nihilque usurpavisse ex his, qua vetus

memoria

memoria firmavit. De Vario denique apparitionis tempore, omnia confusa agnoscit ipse Tacitus; quum hac in re antiquitatem obscuram dicat, quas obscuritates detegunt Salmas. pag. 554. Bochartus pag. 822. Quibus tamen non obstantibus, ait Donatus Marcellus, crediderint Phœnicem veram avem existimari posse. Imo maxime obstant! Nec ullum ab Herodoto habet praedictum, qui dicit sibi non videri vero similia, qua ex Heliopolitana de Phœnicia audierat, nec ullum se vidisse Phœnicem nisi pictum, verba ejus haec sunt loco ante à nobis allegato: ἐμοὶ ἐδὲ ἔ παρὰ λέγοντις. Nec multum nobis officit hic locus Scaligeri (cujus tamen viri nomen Gryphiandro ingens est argumentum) qui Exercit. 233. ex fide Schotti, ad Cardanum habetur hisce verbis: Phœnicem baud penitus esse fabulosum, legimus in commentariis navigationum in mediterraneis India reperiri. Semenda vocatur ab incolis. Ceterum hujus historiae fidem levat additum mendacium. Ajunt enim ei rostrum trifistulare, unde musicum edat sonum, cujus ad imitationem pastores, instrumentum composuerint baud insuave. Nam praeterquam ambigue fatig hoc referat ipse Scaliger, etiam Schottus p. 1042. hunc in modum loquitur: Continet manifestum mendacium de trifistulari rostro Semenda, ut Scaliger etiam agnoscit, & Aldrovandus accurata inspectione cranii pro Semenda cranio ad se missi, deprehendit. Parvam ergo fidem tota narratio meretur, qua

quæ non alium in finem confecta esse videtur, quam ut Phœnicis fabulæ patrocinetur. Convenire quidem Semendæ nomen, aliqua ratione, cum Salamandra, adeo ut hinc quoque provenisse videatur; sed quæ de Salamandra commemorant ipsi Arabes, sibi non constare, ex diversis eorundem testimoniis, erudite pro more suo edidit Bocharr. pag. 823. Fere huc usque secundo navigationis cursu mihi perventum est, sed hic magna me excipit charybdis, majoresque me manent difficultates, quum mens mea hic novis quibusdam turbinibus fluctuare agitarique incepit. Nam cum Exercitium hoc jam elaborassem, in manus meas pervenit Phœnix Johannis Gryphiandri Jurisconsulti Poëtæ & Historici (nisi dum allegorias & mytheria sectatur) longe celeberrimi. Quamvis ergo reverear tanti viri eruditionem ac memoriam, non possum tamen huic opinioni ejus assurgere. Vix enim credo fas typum aliquem Sanctissimi Salvatoris nostri in gentilium fabulis atque commentis quærere. Et cum nobis sola Sacra vaticinia de Christi adventu authentica sint, supervacuum est alia adferre, quorum non fluxa modo sed suspecta etiam est fides ac autoritas. Credimus tamen virum hunc celeberrimum pio nec irreligioso animo hoc fecisse. Cæterum displicet nobis illa acrimonia & mordacitas, qua in alios viros eruditos utitur, utpote quum dicat.

Hæc sume-

Summa est mysterii in Phœnice ave præfigurati. Quod si quis non intelligat, stupidus est, si negat, in sapientiam ac potentiam injurius. Deinde hæc verba in Gesnerum profundit, quod *zwey* per unum hominis animum explicaverit. Illud is profecto nobis, fortasse etiam sibi ipsi: quasi omnes homines sint anniculi & porculi. Interdum animi in suum prodit de veritate minus sollicitum, quum alio in loco dicat. Nobis vena danda, qui cum veteribus errare malumus, quam recentiorum incertis conjecturis assentiri. Rurlus alio loco. Erremus hic potius cum pluribus; siquidem verum est multitudine errantium errori patrocinari. Meum autem tantummodo hunc est sententiam ipsius aliis dijudicandam disceptandamque proponere, quantum quidem ex perfunctoria & tumultuaria perlectione turbida ac confusa memoria retinere potuit; nam & prolixior est, nec ullis apud ipsum numeris pagellæ sunt signata. Primo hunc controversiæ statum sibi format; *Reverane Phœnix avis in rerum natura sit, an putum putum signentum Poëticum?* quod posterius meo quidem judicio in controversiam venire non debet, sed potius si Phœnix non esset, quid hoc ipso naturæ miraculo, fabulæ hujus fictores primi intenderint. Postmodum Gryphiander cumularis prius ex historia exemplis naturæ paradoxis, quæ penes ipsum velut Philosophicæ rationes pro Phœnicis possibilitate non nisi voluntaria mili-

militia pugnans, ad historicas de Phœnicæ traditiones progreditur, & hinc exillimat nullum argumentum neque verum neque fictum tam firmum validumque esse ad persuadendam gentilibus resurrectionem quam hoc, quod velut manu palpabile omnibus ipsa natura fecerat. Deinde prolixè satis demonstrare conatur, *fas esse typum Christi ex vili animalulo querere*, tum aliunde, tum ex ipsa SS:a. Non tamen ad hunc typum præcisè hoc facit, quod SS:us Columbæ speciem induerit, & quod dicat quatuor Evangelistas totidem animalibus præfigurari à Propheta. Ex his demum hunc in modum concludit: *Nemo nos opinor impietatis insimulabit, quod Mesiam quoque Phœnici comparare audeamus*, quem & ideo verum & unicum Phœnicem nuncupat. Et quæ alii ad solem referunt, ille adfirmat, rectius multo de Christo exponi debere. Tandem post recensitas varias tum Judæorum, tum Gentilium ætates & magnos annos, variasque Phœnicis apparitiones, concludit hunc in modum. *Quicquid tamen sit, semel an sapius devolaverit in Ægyptum Phœnix, id certum est, sub Tib. Casare eam avem denuo inspectam. Et quidem illo ipso tempore quo quartum mundi millenarium completum esse volunt Chronologi. Et Romani novam seculi conversionem ex libris Sibyllinis, aliorumque varum præagis cupido expectabant. Etrusci Vates portendi mutationem seculi, & exordium alterius mundi dicebant.*

Esse

Esse enim mundi ætates s. secula omnino octo alii 7, alii 6. alii 4. nos hic tres constitimus uniuscuiuslibet horam à Deo definitum certum tempus magni anni circuitu comprehensum, una porro ætate finita intrinseque alterius, terram & cælum miraculum aliquod edere &c. Nimirum hoc erat illud miraculum, nati Dei hominis, cui simile nec cælum nec terra produxit usquam, cuius figuram aliquam referebat Phœnix. Et paulo post. *Abinde enim erecti fuerunt, non judæorum saltem animi, in futurum adventum Mesia, sed etiam Græcorum ac Romanorum oculi in imminuentem seculi conversionem, quæ tum sensim appropinquare cepit. Tempus vaticinio Jacobæ præfinitum nunc elapsum erat. Introducitur deinde ab illo Virgilius sine Christo* *ἤστραυτο*. Alio rursus in loco de arcanis libris sacerdotum Ægyptiorum ita loquitur. *Ergo natura conscientia, id scripsere, quæ huic animali imaginem quandam resurrectionis Christi impressit, hominibus incredulæ possibilitatem facti ostendentem.* Hæc & plura alia his similia, variis in locis apud illum inveniæ, quæ longum mihi esset recensere, quæ tamen aliis referre magis convenit. En quaecumque argumentum in sese mihi suppeditavit Gryphiander, dum passim in suis notis ad carmen Lactantiæ, aliarum volucrum *ἠστραυτο* *ἠστραυτο* in Phœnicem ab eodem transscripta persequitur. Utpote quum Herodotus memoret ex Phœnicis nido decuti cinnamomum & Casias, ex in vitiis rupibus arboribusque

E

quas

quas fertur inhabitare, hoc ipsum de nidis aquilæ inaccessis adteritur Job: 39. v. 31. ex F. G. Idem etiam de cinnamologo refert Plinius, dum facit eundem in Arabia Cinnamulurculis nidificantem, quos plumbatis sagittis decutiant indigenæ mercis gratia. Præterea quoque *ὄξυδακτυλῶν* aquila vim oculorum Phœnici tributam sibi vindicat. Denique quod præcipuum est, Aquilæ, qui Rex avium, Domina ac regina volucrum à Poëtis sæpe numero audit, regnum imperiumque Phœnici adscripsit Lactantius. Deinde nonnulli Phœnicem Phasiana ave & Pavone faciunt formosiorum aurique colore splendorem, Pavonis quoque & caput & caudam mille coloribus variegatam, superbiamque, cum ad hominum adspectum caudam cristamque erigat, tribunt. Colorem quoque Puniceum fortasse mutuatus est Phœnix a Phœnicoptero, variisque alios in se assumit pro varia cœli facie statuta & verspertina (confer omnino Cl. Rubbeckium) mira colorum rubri cærulei albique varietate distincta. Præterea quoque horologium suum, alarum vibrationem, itatumque cantus tempus gallo gallinaceo acceptum referre debet Phœnix, quo nemo exactius tempora distingvere novit, quamvis gallo peritior faciat Phœnicem Gryphander, utpote qui revolutionem seculi cognoscat, ejusque adventantis nuntius sit. Atque hæc omnia,

vel

vel ipso indicante & clam quasi fatente Gryphiandro, latis ostendunt præcones Phœnicis, collegisse præcipuas laudes reliquarum avium, atque exinde novum quoddam finxisse prodigium, quod excellentissimas quasque celeberrimam avium dotes ac virtutes in se contineret.

Th. VII.

Hæc nunc superatis difficultatibus, & hoc æstuante mari ut speramus, quodammodo evicto & everberato, superest ut dicamus, quid de Phœnice hoc tenendum sit, videamusque unde hæc fabula tuam habuerit originem. In primis magnam invenimus cognationem inter Palmam (quam ideo eligere Phœnicem quod à noxiis animalibus sit immūnis à Plinio dicatur nonnulli volunt) & Phœnicem avem, quam quoque animo secum voluisse Ovidius videtur, quum Phœnicem nidificantem faciat in palmæ cacumine, quod apud neminem alium nos invenimus, nisi apud Lactantium qui Ovidium imitatus videtur, adeo ut plures haud cunctanter affirmare auri sint, Phœnicem suum nomen, colorem, ornatum, præcipuaque attributa palmæ accepta referre debere. Nam sæpe deprehendimus quam plurimis imposuisse ambiguum *Φοίνικῶν* vocem. Ordine itaque singula persequamur. De Phœnice memoratur primo, quod quam diutissime vivat, & ex suis cineribus reviviscat. De renovatione aquila per

E 2

de

decenniū & quo modo huc pertineat vid: Gryph:
 Hoc autem verissime palmæ convenire, cujus
 longam satis ætatem, superius indicavimus &
 Plinii verba Lib. xi. c. 4. demonstrant. *Una ea-
 rum arbor in Chora (vel ut legendum existimat Retianus
 in Charace) traditur, una & Syagrorum. Mirum de ea
 accipimus, cum Phœnice ave, qua putatur ex hujus palmæ
 argumento, nomen accepisse, mori ac renasci ex sese i-
 psa, erat tum, quum hæc proderem, fertilis.* Et
 hujus rei causam cum Bocharto facere possu-
 mus loci ipsius fertilitatem, ex qua factum, ut
 surculo vel palmula cadente, palma alia in
 deficientis locum succreverit. Hæc quæ à
 Plinio dicuntur probat etiam Gryph. & cum
 loco hoc contert alium lib. 21. c. 8. Item di-
 oscoridem & Thephrastum: Bocharto tamen
 non assentitur Ezechiel Spanheimius in opere
 ante laudato pag. 243 his verbis. *An vero
 Græca vocis apud Regium vatem homonomia & pal-
 ma in Syagris renascens, cujus Plinius meminit occa-
 sionem illi de Phœnice fabula dederit, ut nuper obser-
 vabat doctissimus Bochartus, fateor mihi haud conti-
 nua probari. Ut enim demus sacros Christianorum an-
 tistites, illa vocis Φοινικῆς apud Regium cantorem
 ambiguitate deceptos, at certe nemo, dixit eandem
 imposuisse Herodoto, aliisque antiquissimis inter gen-
 tiles scriptoribus, à quibus traditam, & non a se re-
 pertam illam de Phœnice narrationem in suos usus p̄i
 antistites transfudere. At non umquam dixit Bo-
 chartus antiquioribus gentiliū scriptoribus am-*

ambiguam Divini Psaltis vocem imposuisse,
 neque ignorare potuit, patres aliunde fabulas
 recipere posse, quam ex Hebræis & ambigu-
 is SSæ. locis, quippe qui vir fuit ad stuporem
 usque eruditus; & hoc vel ex solis Græcis fa-
 bulis à Pisida nominatis constare potest; neque
 illud statim excludit, quum dicat imposuisse
 patribus in expositione Psalmi Davidici vetu-
 tum interpretem Italum. Et poterat etiam
 multo ante alios quâ patres, ambigua Φοινικῆς
 vox decipere, errandique ipsis occasionem
 præbere, quod Plinius confirmare videtur ver-
 bis supra allegatis, cujus traditionem nomi-
 navit solum Spanheimius, non refutavit. De-
 inde dicitur Phœnix ales amica Deo, hoc est,
 Soli: nam Sol apud Ægyptios non modo pro-
 summo Deo habitus, sed etiam apud Græcos
 absolute Θεός dictus est, unde & Phœbi fatel-
 les ac sacerdos Lactantio, sacra avis Herodo-
 to, Hyperionis Ovidio, Titania Claudiano,
 dicta est. Et quod Soli Sacer habitus fuerit,
 hoc symbolicæ Ægyptiorum Philosophiæ tri-
 buendum est, qui solis symbolum Phœnicem
 fecerant, & hinc illa magni anni revolutio
 Phœnicis ætate terminata fuit. Proinde in
 Hori Hieroglyphicis præter alia Phœnicis
 symbola adhibita dicitur, *ἡλιος ἔστιν ὁ Φοινικῆς
 σύμβολον. Ἀερολογικὸς σύμβολον* Clem. A-
 lexand. Phœnicem nominat. Johannes vero
 Gazeus de Phœnice ait: *ἡλιος ἔστιν ὁ Φοινικῆς
 σύμβολον*

Ἰδριον solis circulare signum est. Ultimo & hoc addimus, Phœnicis symbolo designare volebant redeuntes in se tempestatum vices, & nihil sub sole novum esse, sed sensim omnia veterascere, & denuo renovari totiusque naturæ (quæ univèrsa in se teres & rotunda, in quo etiam quadrata est) immutabilitatem, & integratas temporum post exactum multorum annorum spatium, vicissitudines. Hanc expositionem nostram (ut postea deprehendimus) persequitur etiam Gryphiander, quamvis mox aliam interserat. Non abit multum ab hac Explicatione Thomasius qui in sua de Phœnice dissertatione, statuit eos, qui Phœnicem excogitarunt, voluisse illum mundi esse imaginem, quæ non unitatem ipsius tantum durationemque longam, sed & circulos per vitæ mortisque vices exprimeret perpetuos, ex gentium videlicet, qui auctores fabulæ fuerunt, mente. Hoc idem Schottus & ex ejus fide Deusingius confirmat. Non defuere etiam, qui mysterii aliquid Chymici exitimarent latere sub Phœnicis fabula; & certe illud, quod ex igne nasci quibusdam, igne etiam mori sit creditus, invitatur eo, ut non plane contemnendam putemus illam expositionem.

Th. VIII.

Antequam finem huic nostræ dissertationi imponamus, magnopere e rest, ut quæ-

quædam alia argumenta *ενασδασια*, pro destruendo hoc, de Phœnice, commento proferamus. Inter hæc primas tenet, quod ex historia Diluvii petiturum est, quando Noachum Deus jubet aves in arcam non nisi per paria admittere: ubi tum Phœnix esset, quem unicum & solum in terris esse constans fere hominum fama, scriptorumque opinio fuit? ceterum hoc argumentum, argute nimis pro sua opinione disputans Gryphiander, hoc fere modo diluere conatur, tamquam alioquin non valeret nisi à Galeno in Ethnica Schola prolatum esset; homine vero Christiano prorsus indignum, & in divinam omnipotentiam impium atque injurium esset. Certe alieno loco hæc sequentia dicere videretur. *Natura rerum vis atque majestas, in omnibus momentis fide caret, si quis modo ejus partes non totum complectatur.* Deinde in posterioribus hæc profert. *Nemo quidem ignorat, Deum in prima creatione animalibus benedixisse, ut in suo genere crescerent & multiplicarentur singula per terram, sed in eo manum omnipotentia sua ad unum nascenti modum non alligavit, sed diversos sibi reservavit, ut ex mirabili hæc rerum varietate admirabilis quoque ipsius potentia & sapientia clarius elucesceret.* Deinde ex animalibus in quibus nulla lexus distinctio datur, hoc concludit. *Cur non & huic numero Phœnix accensendus est? cur non in eo cessare potuit mandatum de septenis cujuslibet sexus in arcam Noæ ingredientis; Gen. 7. v. 2. quod ad illa*

saltem

saltem animantia se extendit, quorum totidem paria in rerum natura erant. Binas demum has subjungit quaestiones, Et quid si Phoenix una cum paradiso eas in aeris regiones subtractus esset, ubi tutus ab omni inundatione esset, ut Lactantius sentit? Quid si post diluvium extraordinario quodam modo esset creatus? &c. Sed hac de re feliciter iudicent alii. Aliud, quod de suo Bochartus addit, hoc est, quod cunctis a Deo creatis animantibus studium vitae suae conservandae ab ipsa natura ingenitum sit; secus hoc in Phoenice esset, si coedio vitae, sponte sua flammis se addiceret. Praeterea nec fieri potest, ut perfectum aliquod animal ex suo citere, sua ipsius potentia, renascatur. Neque hoc argumentum est contemnendum, quod nemo umquam sit, qui profiteretur verum Phoenicem a se vitum fuisse; & omnes qui de Phoenice quid scripto tradiderunt, parum sibi metipsis constant, aliorumque traditionibus solum nitantur. His addere possumus partem ex eruditis majorem melioremque, qui omnes uno ore, voceque una hanc fabulam explodunt; & inter celebriores historiae animalium scriptores ipse Aristoteles nullam omnino Phoenicis, tanquam revera fabulosa, mentionem facit, ipsique demum historici pleraque de Phoenice incerta ac dubia agnoscunt, & ea vix sibi persvadent, quae de Phoenice memorantur. Hoc quoque argumento usus est in sua

sua de Phoenice Diatriba Andreas Schottianus: Deum in illis Jobi capitibus, in quibus maiestatem & potentiam suam ex natura operibus commendat, hoc non fuisse omissum, quod praeter ceteris adeo esset insigne. Haec quamvis a silentio petita sunt, sua tamen non destituuntur firmitudine. Haec illa pauca fuere, quae subitaneo ac tumultuario labore hoc tempore contractionibus diebus, inter quotidianas occupationes, non intermissis publicis privatisque Praeceptorum auditionibus, pro modulo ingenii congestimus, nam ad Cleanthis lucernam isthaec elucubare ac elaborare neque otii neque ingenii nostri fuit, quam facile cognoscere potes hanc meam oppellam ἔκ τῶν ἐδουχίων. Quamobrem cum admodum imbecilles ac tenues meas vires ipse B. L. satis videas, tuum erit aequi bonique consulere, & sic xri tuo profundissime me immersum habebis, iterum iterumque Vale!

Addendum.

Indicavit mihi Praeses meus, postquam fere haec dissertatio typis esset descripta, nactum se fuisse notas illustris Viri Nicolai Heinsii in Carmen de Phoenice, quod Lactantio adscribitur; in iis autem, Ales quae Arabum terris gignitur, per Struthiocamelum, explicatur. Quam expositionem suae conjecturae, quae dissertationi infera est, praefert.

A l' Auteur

A Pres avoir long temps souhaité de trouver l'oc-
casion de vous temoigner l' amitié sincere que
j' ai pour vous, il s' en est enfin offert une tres favo-
rable ; C' est depuis que vous avez resolu de mettre en
lumiere une petite de ce que vous avez jugé digne d'
être long temps garcé dans votre memoire. Sans
mentir, Monsieur, quand on regarde la matiere que
vous avez choisie, il faut avouër, qu' il n' y a rien de plus
digne de votre industrie & de votre adresse; & quand
on considere votre maniere d' écrire, il faut dire, que dans
ce parler on ne peut tomber que sur des fleurs, & l' en-
droit le plus negligé, ne laisse pas d' avoir quelque
agrément & quelque merite. Et quoy que tout
ce qui vient de vous me charme de telle sorte, qu' il
n' ya point moyen que j' en juge sainement, si la
passion & le transport ne sont capables d' en bien
juger, neanmoins je soutiens constamment que vous
ne scaurez produire que de belles choses. Conti-
nuez donc, Monsieur, s' il vous plait dans le dessein
que vous avez, ainsi il arrivera un jour que tout
le monde jugera que vous êtes digne des grands
bien faits dont il plait à sa Majesté vous combler;
au reste jem' en vas faire des vœux pour votre santé &
prosperité; & suis

Monsieur

Le Maij 1689.

Votre tres humble
& tres
obéissant serviteur

DANIEL TOUSCHERUS.